



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XII. Cælibem vitam sibi visam intolerabilem, Alipium vero autoritate sua motum, in desiderium conjugii venisse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## C A P. XII.

*Calibem vitam sibi visam intolerabilem,  
Alipium vero autoritate sua motum, in  
desiderium conjugii venisse.*

1. Rohibebat me sane Alipius ab uxore ducenda, causans nullo modo nos posse seculo ocio, simul in amore sapientiae vivere, sicut jam diu desideraveramus, si id fecisset. Erat enim ipse in ea re etiam nunc castissimus, ita ut mirum esset: quia vel experientiam concubitus cooperat in ingressu adolescentiae sue, sed non haeserat, magis que doluerat, & spreverat; & deinde jam continentissime vivebat. Ego autem resistebam illi exemplis eorum, qui conjugati coluisserant sapientiam, & promeruisserant Deum, & habuissent fideliter, ac dilexissent amicos. A quorum ego quidem granditate animi, longe aberam: & delectatus morbo carnis, & mortifera suavitate trahebam catenam meam, solvi timens: & quasi concusso vulnere, repellens verba bene suadentis, tanquam manum solventis.

2. Insuper etiam per me, ipse quoque Alipio loquebatur serpens: & innectebat atque spargebat per linguam meam, dulces laqueos in via ejus, quibus illi honesti & expediti pedes implicarentur. Cum enim me ille miraretur, quem non parvipenderet, ita hærere visco illius voluptatis, ut me affirmarem, quotiescumque inde inter nos quereremus, cœlibem vitam nullo modo posse degere: atque ita me defenderem, cum illum

lum mirantem viderem, ut dicerem multum interesse inter illud, quod ipse raptim & furtim expertus esset, quod pene jam nec meminisset quidem, atque ideo nulla mollesia facile contemneret, & delectationes consuetudinis meæ: ad quas si accessisset honestum nomen matrimonii, non eum mirari oportere, cur ego illam vitam nequirem spernere. Cœperat & ipse desiderare conjugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis, sed curiositatis. Dicebat enim scire se cupere, quidnam esset illud, sine quo vita mea, quæ illi sic placebat, non mihi vita, sed poena videretur.

3. Stupebat enim liber ab illo vinculo animus servitutem meam, & stupendo ibat in experiendi cupidinem, venturus in ipsam experientiam: atque inde fortasse lapsurus in eam, quam stupebat servitutem, quoniam sponzionem volebat facere cum morte; &, qui amat periculum, incidet in illud. Neutrum Eccles. 3. enim nostrum, si quod est conjugale decus,<sup>27.</sup> in officio regendi matrimonii, & suscipiendorum liberorum ducebat, nisi tenuiter. Magna autem ex parte, atque vehementer consuetudo satiandæ insatiabilis concupiscentiæ, me captum excruciat, illum autem admiratio capiendum trahebat. Sic erramus, donec tu altissime & non deserens humum nostrum, miseratus miseros, subvenires miris & occultis modis,

## N O T A.

<sup>2</sup> Non deserens humum nostrum ) corpus de limo & humo sive terra factum, quod nisi divinæ gratiæ rore identidem aspergatur, exarescit, & exardecit in pravas libidines.

V S V S.